

CXXXVIII.

Anno 1442. Die festo Corporis Christi. Clissae.

Petrus de Talovec, Dalmatiae et Croatiae Banus, suis Castellanis et Vice-Castellanis, in Comitatibus Cethinae et Clissae existentibus, mandat, ut decimas, propter quamdam inter Coronam Hungariae et Regnum Dalmatiae exortam differentiam ab Ecclesia Spalatensi abalienatas, eidem Ecclesiae imposterum reddant.

Nos Petrus de Talouez, Cethine ac Clissie Comes, Regnorum Dalmacie et Croacie Banus etc. memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis, quod nos tam considerantes afflictionem, qua populi Christiani deuotioni Sacri Regni Hungarie Corone per seuissimos paganos aliosque dicte Sacre Corone inimicos iusto Dei iudicio affliguntur, per manus secularium personarum minus iuste usurpantur, quam etiam piis supplicationibus Reuerendissimi in Christo patris et domini Jacobini Baduarij Archiepiscopi Ecclesie Metropolitane Spalatensis attentis, volentes etiam supradictam Ecclesiam et eius ministros in omnibus melius adiuuare et subleuare, quam deprimere vel damnificare, vt tenemur iuxta morem bonorum Christianorum, decreuimus, et nostrorum habito maturo consilio, deliberauimus, vt vniuersas decimas aliaque iura ecclesiastica, que a multis retroactis temporibus per nonnullos Reges Sacri Regni Hungarie Corone, et Banos dicti Regni Croatie propter quamdam differentiam inter Sacram Coronam et Regnum Dalmatie exortam, pro dicto Archiepiscopatu Spalatensi fuerunt alienata, et ad sustentationem castrorum Sacre Corone in suprascripto Regno Croatie habitorum comutata. Tum propter prefatam afflictionem populi Christiani, ne forte Deus omnipotens oculos sue misericordie uelit super nos dirigere, et uidens nos legem suam adimplentes iuxta dictum suum Euangelicum: Reddite, que sunt Cesaris Cesari, et que sunt Dei Deo, nos a manibus seuissimorum paganorum aliorumque Sacre Corone inimicorum suo benigno auxilio dignaretur liberare. Tum etiam uolentes piis supplicationibus dicti domini Archiepiscopi annuere suprascriptas decimas aliaque iura ecclesiastica, que, vt supra, pro sustentatione Castrorum Sacre Corone in Regno Croacie habitorum, exigebantur, ad prefatam Ecclesiam S. Duymi Spalatensem de iure spectantia, et in Comitatibus nostris Cethine uidelicet et Clisse existentia, remittendas et prefate Ecclesie assignandas, imo remittimus et resignamus presencium per uigorem. Quapropter vniuersis et singulis Castellanis et Vicecastellanis aliisque quibusuis Officialibus et Commissariis nostris in dictis Comitatibus Cethine et Clissie existentibus, firmiter precipiendo mandamus, quatenus dictas decimas et alia iura ecclesiastica ad prefatam Ecclesiam Spalatensem de iure